

Secundam Epistolam sub nomine beati Joannis, & quidem Apostoli, citavit. Post eum Ambrolius Com. in Psalm. 36. hæc habet: *Joannes senex caput scribere Evangelium & Epistolas, qui cum resugeret Apostolum scribere, Senorem scriptit;* clare satis duas posteriores eidem Joanni, qui Evangelium & primam Epistolam conscripsit, tribuens. In ipsa urbe Roma Hilarius diaconus tertiam Epistolam Cajo scriptam diserte Joanni Apostolo adscripsit; Hieronymus autem, utramque<sup>a</sup>. In ipsa porro recensione Canonicorum N. T. Librorum, his suum locum assignarunt una cum prima, Rufinus & Innocentius, locis sæpe citatis. Neque post hoc tempus à quoquam Latinorum Patrum de his dubitatum legimus.

- <sup>226</sup> *Apocalypsis* Joannis ubi primum prodierat, non in Asiaticis modo, sed & aliis circumquaque Ecclesiis divulgata erat, ac pro *γενναδίῳ* habita, quod mox ostendam. Illud interim præmonere visum est, pauciora longe hujus Libri, quam Evangeliorum ac Pauli Epistolarum exemplaria descripta fuisse; eo quod obscuros & reconditos contineret sensus, ac rarius fortasse in Ecclesiis publice legeretur, si de primis Seculis ex posteriore Ecclesiæ consuetudine judicium ferre liceat. Neque Apocalypsis vel Evangelico vel Epistolico Codici juncta erat; sed tanquam Propheticus Liber, diversi prouersus à reliquis argumenti, seorsim incedebat: unde vetus illa distinctio Librorum N. T. in *Εὐαγγέλιον, Αποσόλων, καὶ Αποκαλύψεως λογια*, apud Origensem, Com. in Matth. p. 220. Atque hunc Apocalypses Librum in Ecclesiis Asiaticis, quibus prima ipsius Capita inscripta erant, Canonican auctoritatem obtinuisse certum est, non solum dum Joannes vivus ipsis præsideret, sed & proximis post obitum ejus Seculis. Siquidem Papias Joannis & Apostoli, & alterius *Presbyteri* vulgo dicti discipulus, eam tanquam divinam amplexus est, teste Andrea Cæsariensi<sup>b</sup>: ut & procul omnino dubio Polycarpus, ipsius *τριπλοῦ*<sup>c</sup>, Ecclesiæ Smyrnensis Episcopus; (ad quam Secundam ex Septem Epistolis dederat Apocalyptes) licet in Epistola ejus ad Philippenses haud citata fit, nulla utpote in breviculo illo scripto data illam allegandi occasione. Certe Irenæus, Polycarpi discipulus, Asia oriundus, sæpius in Eam tanquam Joannis discipuli Domini ad probanda Fidei dogmata adduxit. Melito vero Sardensis Ecclesiæ (ad quam quintam Joannis c. 3. Apocalypses Epistolam datam ajunt) Episcopus integro Eam commentario illustravit<sup>d</sup>. Quocirca primis Seculis apud Ecclesiæ Asianas, ne levissima quidem de Libri huius auctoritate fuit dubitatio. Sed & alia Ecclesiæ Orientales Eum pariter tanquam *γενναδίῳ*, & ab ipso Joanne Apostolo conscriptum admisere; præsertim in Palæstina, Samaria, & Syria. In hac enim Theophilus Antiochenus, libro adversus Hermogenem, ex Apocalypsi desumisse testimonia refertur ab Eusebio<sup>e</sup>: in ista, Julianus Martyr, Dialogo cum Tryphone (quem dimidio circiter Seculo post scriptam Apocalypsin elapo, literis consignavit) citat sub nomine Joannis, unius ex Apostolis Chirilli, p. 240. in illa Origenes, haud semel<sup>f</sup>, Joanni Librum hunc adscripsit; ut & *ιατεγματικὸς* ejus, Pamphilus<sup>g</sup>. Et in Lycia, Methodius Episcopus Patarenensis, divinam hujus Libri auctoritatem agnoscit. lib. de Convivio decem Virginum. Ægyptus quoque & Africa, eundem tanquam Librum Canonicum per traditionem à reliquis Ecclesiis accepere. In illa Clemens Alexandrinus Eum Apostolo Joanni tribuit haud semel<sup>h</sup>: in hac, non modo Cyprianus in libris ad Quirinum sæpius allegat<sup>i</sup>, & in Epistola 63. *Scripturam divinam* vocat; sed & ante eum Tertullianus, tanquam Propheticum Novi Fœderis Librum, ab ipso Joanne Apostolo & Evangelista scriptum crebro laudavit<sup>j</sup>. <sup>229</sup> Quemadmodum autem in Asiaticis & Africanis Ecclesiis recepta fuit Apocalypsis, ita nec defuere qui in Europa hanc admiserunt, Hippolytus Portus Romani Episcopus, & Victorinus Petavionensis: quorum ille peculiari Tractatu Libri hujus auctoritatem adstruxit: hic

vero Commentario eum integrum illustravit. quibus denique ut ut loco non suo, adjicere libet Apolloniu, Seculi secundi Scriptorem, qui Tractatu contra Phrygas, Libri hujus auctoritate usus est, teste Eusebio<sup>k</sup>. Ceterum sicut Apocalypsis, jam inde ab ipsa tere ejus editione, in Ecclesia Catholica ab ipsis Apostolorum discipulis ac proximis Successoribus miro plane consensu approbata fuit, ac pro divina habita, ut ex dictis patet: ita mox ex adversa parte prodiere Hæretici qui ipsam impugnarunt, Cerdon<sup>m</sup>, Marcion<sup>n</sup>, ac postea Alogi<sup>o</sup>. Imo vero paulo post in eunte Seculo tertio, <sup>230</sup> inter ipsis Catholicos fuere qui Eam è Canone N. T. ejecerunt; Caius Ecclesiæ Romanæ presbyter, in Disputatione cum Proclo, apud Eusebium<sup>p</sup>, aliqui nonnulli; Cerintho Hæretico Illam adscribentes<sup>q</sup>, quod Dionygio Alexandrino, & ipsi hujus Libri auctoritati parum propitio, notatum. Causa vero cur hic Apocalypsin in *νοθεύσεως* suspicionem adduxerit, illi vero aperte repudiarint, erat dogma de millennario Christi in his terris regno. Quod cum Caius ac Dionygius acriter impugnarent, nec argumentum ex Apocalypsi petitum commode diluere possent, ipsius libri auctoritatem aucti sunt labefactare, seu etiam penitus evertere. Neque mirum quod opinionis suæ Sectatores nonnullos invenerint, cum Romana & Alexandrina Ecclesiæ, in quibus florebant Ipsi, primatum inter alias omnes obtinerent, illa in Occidente, hæc in meridie. Illud vero omnino mirandum quod in ipsis Ecclesiis <sup>231</sup> Asia & Palæstina, ubi Apocalypsis primis Seculis indubie recepta fuerat, postea Seculo quarto Canonicas ipsius auctoritatem inficiati sint. Unde Eusebius istius ævi Historicus, *ἀντιδιαρρόης* Scriptis Eam adnumeravit<sup>r</sup>. Cyrillus quoque Hierosolymitanus, in recensione Canonis, Apocalypsin prætermisit<sup>s</sup>. Integrum insuper Concilium Episcoporum Asiaticorum in ipsa urbe Laodicea (cui Septima Epistola Apocalypses scripta erat) congregatum, eam itidem Canone exclusit. Neque Gregorius Nazianzenus Carm. 33. eam Libris N. T. adnumeravit. Amphiliochius denique in Jambis ad Seleucum, ait: *Apocalypsin à quibusdam recipi, à pluribus reprobari.*

Atque hæc disceptatio, Hieronymi adhuc ævo in pluribus Ecclesiis Orientalibus duravit, ut appareat ex Ep. 129. ad Dardanum. Nihilominus recte hoc ipso quarto Seculo Epiphanius<sup>t</sup> notavit de Apocalypsi, *ὅτι παρὰ πλεῖστοι πεπιστεράποντες* *λύ*, *καὶ παρὰ τοὺς θεοτοποὺς*. Tales fuere, post Dionysium, auctorem, quisquis ille, Hierarchiæ Cœlestis, c. 3. in Palæstina, Eusebius<sup>u</sup>; in Syria, Ephrem; in Cappadocia, Gregorius Nyssenus<sup>v</sup>, & Nazianzenus Orat. 32. (quamvis in Carmine inter genuinos N. T. Libros haud numeret.) in Cypro, Epiphanius<sup>y</sup>; in Ægypto Athanasius<sup>z</sup>, Didymus<sup>a</sup>, Macarius<sup>b</sup>; in Africa, Victorinus, (l. 3. contra Arium) in Italia, Ambrofius<sup>c</sup>, Philastrius<sup>d</sup>, Rufinus<sup>e</sup>, & Hieronymus, l. 1. contra Jo-vinian. c. 14. ac luculentius in Ep. ad Dardanum 129. ubi de Apocalypsi & Ep. ad Hebræos, hæc habet: *Nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed Veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utrinque abutuntur Testimoniis, — — — quasi Canonis & Ecclesiasticis.* Sed & in Gallia, Apocalypses auctoritate usus est Hilarius Piætavienis<sup>f</sup>; in Hispania, Pacianus<sup>g</sup>, & Prudentius<sup>h</sup>. Seculo 5. etiam citarunt hunc Librum apud Gallos Salvianus<sup>i</sup>, & Alcimus Avitus<sup>k</sup>; in Italia vero Innocentius in Epistola decretali ad Exuperium, eum diserte Canonicum declaravit; ut & post Eum, Concilium Carthaginense in Africa: ubi Augustinus, Tract. 36. in Joannem, Apocalypsin Apostolo Joanni expresse adscripsit. Neque ullus Latinorum Patrum istius aut sequioris ævi, libri hujus auctoritatem rejecisse legitur: adeo ut Græcos solos feriat Sulpitii<sup>l</sup> illud de Apocalypsi: *à plerisque aut stulte aut impiè non recipitur.* Licet enim pro Canonica habuerint Alexandriæ, Cyrillus<sup>m</sup>; Constantiopolis, Cassianus<sup>n</sup> & Nilus<sup>o</sup>; in Cappadocia, Andreas

d 2 Cæsa-

<sup>a</sup> Ep. 85. ad Euagrium. <sup>b</sup> Procem. in Com. in Apoc. <sup>c</sup> Iren. l. 5. c. 33. <sup>d</sup> Euseb. Hist. Eccl. l. 4. c. 26. <sup>e</sup> Hist. Eccl. l. 4. c. 24. <sup>f</sup> Exegeticus in Matth. & Joan. passim. Libris 6, 8. contra Celsum. Philocal. c. 2, 5. Lib. de Orat. p. 34. <sup>g</sup> Apol. pro Ori-genc. <sup>h</sup> Pædag. l. 2. c. 12. Strom. 6. p. 867. <sup>i</sup> Lib. 1. §. 20. l. 2. §. 1, 3. l. 3. passim. <sup>k</sup> Præscr. adversus Hæreticos, c. 33. 46. l. de Anima. c. 9. l. de Resur. carn. c. 58. l. de Pud. c. 19. <sup>l</sup> Hist. Eccl. l. 5. c. 18. <sup>m</sup> Tertull. Præscr. c. 51. <sup>n</sup> Id. contra Mar-cion. l. 4. c. 5. <sup>o</sup> Epiphanius. Hær. 51. <sup>p</sup> Hist. Eccl. l. 3. c. 28. <sup>q</sup> Id. ibid. <sup>r</sup> Hist. Eccl. l. 3. c. 24. 25. <sup>s</sup> Catech. 4. Illumin. <sup>t</sup> Hær. 77. n. 26. <sup>u</sup> Chronico, ad an. 14. Domitian. <sup>x</sup> Orat. in Ordinationem suam. <sup>y</sup> Hær. 51. <sup>z</sup> Orat. 5. contra Arian. & Synopsi Scripturæ. <sup>a</sup> Com. in Epist. Judæ. <sup>b</sup> Homil. 30. <sup>c</sup> Lib. 3. de Virginibus, & l. de Pœnit. c. 9. <sup>d</sup> De Hæret. c. 13. <sup>e</sup> Expol. in Symbol. <sup>f</sup> Can. 20. in Matth. Prolog. in Pl. & Com. in Pl. 2. <sup>g</sup> Ep. 1. ad Sempronianum. <sup>h</sup> Hymno 6. ante Somnum. <sup>i</sup> Lib. 4. de Providentia Dei. <sup>k</sup> De consolatoria castitatis laude ad Sororem. <sup>l</sup> Hist. Sacr. l. 2. <sup>m</sup> Lib. 6. de ador. in Spiritu. <sup>n</sup> Collat. 4. c. 19. <sup>o</sup> De Orat. c. 69.